WENCESLAUS BRACK
Konstanz, 1492-1494 Seite 48v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et torsiones operabitur. Quecumque vero sunt stipticitate
et nigra sunt et grossa, minus quidem in ven-
tre morantur, neque urinam movent, sed
subducunt deorsum, id est, ventrem facilitant.
Ea quoque prebibant ante comestionem cibariorum. Vinum
enim nigrum grossum, nec ante cibum, nec quocumque
alio tempore, senibus est utile. Opilat enim in
eis epar, splenem et renes. Unde si eo amplius
utantur, illis hydropem, aliis calculos efficit.
Ait enim Avicenna 3. primi de vino senum, per hec
verba. Vinum senibus melius est vetus, ut sit
urinam provocet et calefaciat. A novo autem
et albo sibi caveant, nisi post comestionem
balneaverint et sitim habuerint. Tunc
enim dabitur eis vinum album subtile, pauci
nutrimenti, ut sit loco aque. Ab illo vero
quod ex vinis est dulce et opilativum, sibi
caveant. Et Rasis de vino senum vicesimo
secundo continentis per verba platonis, post xl. annos
quotiens invenerint vinum, laudant deum,
qui posuit illud in adiutorium super frigiditatem
senii, ut emendet tristiciam eorum et tollat
anime maliciam, id est melancoliam, que in eorum
corporibus habundat, cui ex tota complexione
vinum de quo diximus repugnat.

Vinum nigrum grossum facit opilationes et hydropem

De vino corporum extra naturalem habitudinem existentium Cap. xiij.